

*lego Indos*

**A** beantur, admiratione tamen dignæ hæ fuerunt, à præcis eorum philosophis editæ. Lege enim sanxerunt, neminem omnino seruum esse: liberos æquo iure honoreq; haberi omnes. Qui assueti erent neq; præstare cæteris, neq; iniuria quemquam afficere, optimè ad omnes fortunæ casus instituisse uitam. Stultitiam sane uideri, leges æquas omnibus positas, fortuna non æquè omnibus communes esse. Indorum populus in tribus septem est distributus. Prima est philosophorum, qui cæteris numero pauciores, supremè dignitate. Hi ab omni opere immunes, neq; seruiunt cuiquam, neq; imperant: recipiuntq; à priuatis et ea quibus sacra dijs faciant, & curam habent defunctorum, tanquam chari dijs, & quæ fiant apud inferos, præcipuè norint: propterea dona plurima honores que eis impenduntur. Multum uerò profunt Indorum uitæ. Nam anni principio unâ conuenientes, siccitates, pluias, uentos, morbos prædicunt, cæteraq; quorum cognitio possit utilis esse. Futura enim audientes tum populus, tum rex, & futura declinant mala, & bonis futuris imminet. Qui philosophus falsa prædixerit, nullam, præterquam quod perpetuò silet, poenam subit. Secunda tribus est agricolarum, qui multitudine superant cæteros, à bello reliquo que opere liberi, solis agris colendis tempus impartiant. Nullus hostis eos lacessit, neq; spoliat: sed existimans illos in communi utilitate uersari, ab omni iniuria abstinet. Ita soluti metu agricolæ, terram que liberè colentes, rerum afferunt ubertatem. Viuunt autem in campis cum uxore ac liberis, neq; in urbes commeant. Dant regi (omnis enim India subdita est regibus) tributum. Nulli priuato licet agros possidere, præter tributum: & quartam quoq; fructuum partem regibus impendunt. Tertiam tribum conficiunt omnis generis pastores, qui neq; in ciuitatibus, neq; in uillis morantur. Viuntur tabernaculis: uenatu, ac retibus tutas à feris aibusq; regiones reddunt. Hoc exercitio Indiam domesticam præstant, multis uarijsq; tum bestijs, tum aibus sementi agricolarum infestis copiosam. Quartum locum artifices tenent: quorum pars armis, pars rusticis instrumentis, a his alijs utilibus rebus fabricandis uacant. Hi non solum immunes à tributo sunt, sed frumentum insuper à regia percipiunt. Quinto ordine milites, sed numero secundi, belli disciplina exercentur. Omnis ea multitudo armis dedita, tum equi elephantiq; bello apti ex regia uictum habent. Sextus est ordo Ephorum. Hi quæcunq; in India aguntur inspicientes, regi referunt: ubi rex desit, principibus. Septimo loco existunt, qui publicis consilijs præsent, numero paucissimi, nobilitate prudentiaq; maximè insignes. Ex his enim ad regum consilia, tum ad rem publicam curandam, tum ad res dubias iudicandas adsciscuntur. Duces insuper ex his deliguntur, ac principes. Has in partes politica Indiarum distributa, haudquaquã licet unius ordinis uirum alterius uxorem ducere, neq; exercitium mutare, neq; enim fas est militem agrum colere, aut philosophari artificè. Habet India plurimos maximosq; elephatos, fortitudine ac magnitudine præstantes. Coit hoc animal, nõ, sicut quidam putat, promiscuè, sed uelut equi, & reliqua quadrupedia. Decimo ac sexto ad minus mense ut plurimùm pariunt, quandoq; octauo & decimo. Vnicum, uelut equi, parturiunt: quæ nutriunt matres annis sex. Viuunt maiori ex parte arate longæ uitæ hominis. Qui uerò maximè senescunt, annis ducentis. Sunt & apud Indos statuti principes, qui iniurias ab aduenis prohibeant. Si qui eorū infirmè, conductis medicis curat, defunctosq; sepeliunt, eorū pecunia proximioribus tradita. Iudices causas cognoscunt: fontes diligenter puniunt. Et de Indis hæc tenus.

*Indos*

*Indos*

**DE SCYTHIS AMAZONIBVS,  
& Hyperboreis. Cap. XI.**

**N**unc de Scythijs, qui sunt Indiarum cõtermini, dicendum. Hi olim à primordio paruum patriam possidebant. Postmodum paulatim per uirtutem & ut-